



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXII. APRILIS.



Isbona, a. d. 14. Martii.
Classe, quæ e Brasilia
redux nunc portum
tenet, permultum
auri argentique ad-
uectum esse, compe-
rimus. Hæc classis

crebris in alto iactata fuit tempestati-
bus, proptereaque non nisi centum
triginta sex dierum spatio, cursum con-
ficere potuit.

Alia indidem, Die, quæ Josephi no-
mine in fastis insignita est, ab hora ma-
tutina nona, ad meridiem vsque mi-
randum adparuit phænomenon, haud
longe quippe a sole conspiciebantur
duæ lanceæ, dimidio circuli quasi im-
positæ, quarum spicula, tam claro ra-
diabant lumine, vt solis ipsius fulgo-
rem referre viderentur. Idem signum
insequentibus diebus his in cælo emi-
cuit, quod piscatores, qui ad prædam

exierant, cum solis ortu illuxisse com-
memorant. Homines ex vulgo come-
tam esse, eamque magnam his regio-
nibus portendere cladem, interpretan-
tur. In Hispania ad bellum omnia
quam diligentissime præparari audimus.
Namque in Arragonia quatuor equitum
peditumque conscribuntur legiones &
Zamoræ pariter & in Roderici ciuitate
res frumentaria colligitur, quæ decem
hominum millibus alendis sufficiat.
Architecti præterea militares, Galli at-
que Hispaniæ, vndecunq; aduocantur,
qui castella & arces nouis munitio-
bus firment. Petrus Almeida, Assu-
marus, comes, qui auri fodinis, quas
possidemus in Brasilia, præfectus olim
fuerat, classe inde aduectus secunda
Martii in hanc urbem venit.

Madriti, a. d. 15. Martii. Cum su-
perioribus diebus Colsterus, Belgarum
legatus, litteris ad regem datis, orasset,

vt editum de mora, Belgarum nauibus facienda, abrogaretur, Grimaldus *marchio* nomine regis hæc ei respondit: Posteaquam rex rumore, qui de Belgarum nauibus percrebuerat, vanum fuisse comperit, & Belgas omni prouidere ratione audiuit, ne quid pestifera infectum lue in naues importetur, singulari, quæ ipsi cum Belgis intercedit, amicitia adductus, solemniter edicit, vt Belgarum naues, litteris commectus instructæ, in omnes intromittantur Hispaniæ portus, dummodo viginti dierum spatio, valetudinis probandæ causâ moram fecerint. Eiusmodi responso Colsterus haud contentus, litteris denuo apud regem institit, vt, quoniam præpotentes Belgii fœderati proceres nihil in se desiderari patiuntur, quo factam tectamque suorum valetudinem conseruent, rex vel plane moram eiusmodi tolleret, vel decem tantummodo dies, vt nauibus factum est Genuensium, eidem præfiniret. Quid autem ad hæc responderit rex, nondum habemus exploratum. Interea Britannorum quoq; legatus, litteris rogauit regem, vt in gentis Britannicæ sententiam, simile decretum fieri iuberet. Cum Farius *marchio*, Lutetiam Parisiorum abiturus, regi nuperrime valediceret, rex non sine magna beneuolentiæ significatione eum a se dimisit, gladium, que adamantibus egregie distinctum oei muneri obtulit, quem tribus numrum millibus æstimant. In portu Gaditano, octo naues, rebus ad nauigandum necessariis, ornari aiunt, quibus Carolus, iuuentutis princeps in Italiam proficiscetur. Philippus, iuuentutis princeps, sacram confirmationem, in sacello regio percepit, cui solemnî ceremoniæ *Borgia cardinalis*, præfuit, Asturiæ autem princeps, loco testis adesse

conspiciebatur. Postero die dignitate equestri, quæ a diuo Jacobo nomen accepit, ornatus fuit. Bedmarus *marchio*, quem præsidem nacti sunt illius ordinis equites, amiculum humeris eius iniicit equestre, Montallegrottus *marchio*, & Arcus dux calcaria pedibus eius adplicuerunt, testis vero illius rei, vt fieri semper adsolet, *marchio* de S. Cruce delectus fuit.

Lutetia Parisiorum, a. d. 23. Martii.

Etiam si dux Aurelianensis, e morbo, quo tentatus fuerat, aliquo modo iam conualuit, ex præscripto tamen medicorum conclauis se adhuc continet, neque in publicum prodit. Id quoque causæ fuit, cur præter eos, quos rex quotidie ad eum mittit, nullus exterorum legatorum in conspectum eius admitteretur. Alacre & festiuum, quod in regina elucet ingenium, omnes admirantur. Cum præteritis diebus, ingens multitudinis ad Luparam fieret concursus, & aliqui gestiæ lætitiæ emitterent voces, atque exclamarent: *uiuat regina!* illa per fenestram prospiciens singularemque vultu præ se ferens humanitatem; *nihil iam*, inquit, *mibi suppetit pecunia, quod vobis donem; mater enim mea Ventadouria grauitè agrotat, quod si autem cras redieritis, videbo quâ ratione meum vobis animum testari queam*

Alia, a. d. 27. Martii.

Nudius tertius ignes succensi fuere festiui, quos dux Ossunensis magno sumtu præparari iusserat. In medio sequanæ templum, quod marmoris præ se ferebat speciem, & Hymenæo nuptiali Deo consecratum erat, magnifice exstructum conspiciebatur. Illius altitudo centum, latitudo quoque versus, triginta pedes æquabat. Columnæ, quibus innitebatur,

tur, & litteris L. & M. quibus regis ac reginæ significabatur nomen, circum circa insignes erant. Quatuor eius latera, totidem cingebant porticus, in quarum medio altare surgebat, ad quod perfici & consummari quasi debebat matrimonium, solemniter contractum. Parte illa, qua templum veterem spectabat Luparam, Hymenæus imagine tenelli formosiq; pueri, sublimis conspiciebatur, qui altera manu tædam nuptialem, altera duas corollas, rubra cæruleaque tænia coniunctas tenebat, quibus hæc adscripta fuerunt verba: *firmantur duplici nexu.* Altera templi parte, Discordia catenis vincita, & tormenti alligata sustentaculo eminebat, tertia simulacrum Pacis, quarta Ceres & Bacchus mira arte representabantur. Præterea sequana, atque Tagus fluvii, qui dextras iungere, atque duobus populis perpetuam polliceri amicitiam videbantur, gratissimum intuentibus præbebant spectaculum. In anteriore templi fastigio hæc legebantur: *Hymenæo pacis vindici.* Dicitur non potest, quantum voluptatis ex ignibus succensis ceperint omnium animi, qui tam magno ad hoc spectaculum confluxerant numero, ut vix locus sufficeret multitudini. Solus dux Aurelianensis desideratus fuit, qui propterea, quod ex morbo nondum penitus conualuerat, id oculis spectare haud potuit. Altero autem die, postquam edita fuerant hæc gaudiorum solemnia, dux Ossunensis, carpento vectus, Mantuam Carpetanorum se recepit.

Londini, a. d. 22. Martii. Nudius tertius rex cum Walliæ principe in sacellum palatii quod a diuo Jacobo accepit nomen, se contulit. Regi more vsitato, Roffensis comes, gladium præ-

ferebat. Pridie illius diei rex patres utriusque cuius conscriptos dimisit, & paullo post eiusmodi publice edi iussit formulam:

REX GEORGIVS.

Quemadmodum tabulis palam editis, comitia regni solemniter dissolui, simulque significavi, qua ratione conuocare denuo constituerim eos, qui proximis regni comitiis interfint, ita his litteris, e sententia illorum, qui sanctiori adscripti sunt concilio, magnæ Brittanniæ Cancellario potestatem tribuo, promulgandi litteras, quibus ad comitia euocet, quicumque ad ea delecti fuerint.

Alia, a. d. 27. Martii. Præcipua nunc in omnibus prouinciis curarum est, de eligendis ad proxima comitia membris. Plurimi passim circumferuntur libelli, quibus partim id intenditur, ut absterreantur ciues a largitionibus, quas fieri a nonnullis obseruatum est; quisquis enim pecunia se corrumpi passus fuerit, non solum suam ipsius, sed & posterorum libertatem maximo exponere periculo certum est: partim vero probra tum in regem ipsum tum in curiæ proceres iactantur, ab hominibus maledicentissimis. Cum nuper amplissimus ciuium vrbs huius conuentus in publicis mercatorum ædibus, quas *Börse* vocant, celebratus fuisset, Robinsonius, conuentus illius præses, ita mentem suam declarauit: Detestandam omnino ac lacrymis dignissimam esse rem, quod loco istiusmodi, veluti in foro publico, ad eligendos curiæ proceres conuenire sit necessum, quodque singularem iam suffragia mille & quingentis libris sterlingicis redimantur.

Hage, a. d. 7. April. Fama est regem Galliæ in terris nostris a mercatoribus nostratibus octingentos equos emendos curasse. Præfecti militum Hispanici dele-

delectus adhuc apud nos habent, quæ res tamen propediem in publico procerum conuentu deliberabitur.

Hafnia, a. d. 31. Martii. Litteris, quas ex Suecia accepimus, nuntiatur, regem cum senatoribus regni quotidie quam diligentissime consilia conferre, qua ratione salus & quies publica promoueri, & quæ eam turbare valent, tolli possint.

Ex Holsatia, a. d. 3. Aprilis. Prope oppidum Oldenburgum infandus proffusus atque horrendus casus accidit. Nobilis quidam rusticum, qui ei subditus fuit ad exsoluendum sibi debitum adigere volebat, cum autem ille soluendo se nunc non esse adseueraret, dominus feueriora se adhibiturum remedia minabatur, quibus minis perterritus rusticus, fuga salutem petiit: Quo facto nobilis, rustici vxorem grauidam, cum filio atque famulo, ad se adduci iussit, quæ, cum Domino de marito suo seiscitanti, nescire se respondisset, quo se is receperit, vestibus exuta paloque adligata, iubente domino, virgis ad sanguinem vsque cæsa atque in fornixem subterraneam coniecta fuit; ac licet tertia die, cum cæderetur, abortum passa sit, tamen nihilominus in cellam eam includendam, filium autem cum famulo, quotidie quam atrocissime verberandos curauit; quo factum est, vt omnes tres, spatio dierum septem animam reddere debuerint. Quæ res deinde, ad eos, quibus summa in administrando principatu facultas concessa est, perlata fuit, ab iisque solitius examinata, quapropter plura proxime nuntiatum iri hac de re existimamus.

Dresda, a. d. 6. Aprilis. Nudius abhinc tertius, Excell. comes Aloysius Thomas Raymundus Harrachius, atque mox post eum Johannes Theodorus Imbsenius, Viennâ ab Imperatore Romano missi huc accesserunt, adlatis ab eodem Imperatore insignibus Ordinis aurei velletis, quibus propediem princeps regius atque electoralis ornabitur. Hæsterna die rex Augustus, coniugem suam regiam, quæ iam ex morbo prorsus restituta est, prima vice inuisit, vnde maxima inter omnes coorta est lætitia. Ceterum omnia iam ad iter, quod regem Varſauiam suscepturum, certum est, parari videmus.

Vienna, a. d. 15. Aprilis. Proxima die Lunæ horis antemeridianis Imperator Augustissimus sanctiori interfuit consilio. Eadem die Excellentissimus comes Ladislaus Adamus Erdödius idemque Episcopus Nitriensis, Posonim ex hac vrbe discessit. Constantinopoli nuntiatum nobis est. *Dierlingium*, qui Commentariensis Legationis Cæsareæ hucusque fuit in aula turcica, iamque legati ordinarii dignitate ab Imperatore Augustissimo ornatus est, die 11. Martii. ad summum exercitus ducem, die 17. vero ad ipsum Imperatorem turcicum solemniter moreque legatis vsitato accessisse, omnemque, qui non nisi legatis ordinariis haberi solet, honorem ei fuisse habitum.

Posonii, a. d. 22. Aprilis. Quibus nuper *Excelsa Commissio* iniunxerat, vt rationes & argumenta, quibus vtraque pars maxime nititur, in compendium mitterent, toti in eo sunt vt officio suo quamprimum satisfaciant.